



Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 74. Vtrum existentia virtutum theologicarum per se infusarum sit certa ex fide.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

ca. Virtus igitur tum intellectualis, tum appetitiva subdividi debet in naturalem, & supernaturalem, theologiam, & non theologiam. Virtutes autem voluntatis non theologice vocantur virtutes morales, quia versantur immediatè, non circa bonitatem divinam finis, sed circa bonitatem creatam, & moralem mediorum.

8. Ad secundum concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem, transeat antecedens, & nego consequentiam. Fides naturalis, & humana non est virtus intellectualis, sed est habitus inferior virtute, quia cum nitatur veracitate hominis, quæ est fallibilis, est habitus fallibilis; sed de ratione virtutis intellectualis est, ut sit habitus infallibilis, & quo semper anima verum dicit, ut colligitur ex Aristotele 6. Ethic. cap. 2. ergo fides humana non est virtus intellectualis. E converso fides divina, cum innitatur infallibili veracitate Dei, est infallibilis, adeoque est virtus intellectualis. Spes naturalis ita sperat consequentiam ultimi finis, ut motuum sperandi sit possibilitas naturalis ipsum consequendi; sed habitus ita sperans ultimum finem, ut motuum sperandi sit possibilitas naturalis ipsum consequendi, vel non est virtus, vel non est virtus theologica; ergo spes naturalis non est virtus theologica. E converso spes infusa ita sperat ultimum finem, ut motuum sperandi sit omnipotentia, & infinita fidelitas Dei promittentis, adeoque est virtus theologica. Demum charitas est habitus amandi Deum, non solum ut dominum, sed etiam ut amicum, eique præstandi opera, non solum cultus, sed etiam amicitia; sed homo in pura natura esset in statu pure servili, adeoque posset prudenter amare Deum solum ut dominum, non autem ut amicum, & posset Deo præstare opera solius cultus, non autem amicitia; ergo non datur charitas naturalis, sed solum datur religio naturalis, hoc est naturalis virtus colendi Deum. Ex opposita ratione in natura elevata, cum homo sit elevatus ad statum amicitia, datur charitas virtus theologica simpliciter.

9. Ad tertium, distinguo maiorem: virtutes theologice voluntatis distinguuntur à moralibus per hoc, quod virtutes theologice versentur circa ultimum finem utcumque, morales circa media, nego; per hoc, quod virtutes theologice versentur circa ultimum finem, ita ut moveantur immediatè, & sufficienter à bonitate ultimi finis, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Virtutes theologice voluntatis differunt à moralibus per hoc, quod theologice ita versantur circa ultimum finem, ut immediatè, & sufficienter moveantur à bonitate increata ultimi finis, morales non moveantur immediatè, & sufficienter à bonitate increata ultimi finis, sed moveantur solum, insufficienter, ita ut moveantur etiam à bonitate mediorum, referendo tamen media ad ultimum finem, ut alibi magis explicavi.

QVAESTIO LXXIV.

Virum existentia virtutum theologiarum per se infusarum sit certa ex fide?

1. **V**idetur non esse de fide: primo quia Innocentius III. cap. maiores de Beatis & Clemens V. in Concil. Vien. ut referuntur in Clementina vnica de summa Trinit. & Cath. approbant solum ut probabiliorem opinionem, quæ affirmat dari aliquas virtutes per se infusas; ergo existentia virtutum infusarum non est certa ex fide.

2. Secundo si dicatur hanc sententiam ponentem virtutes infusas fuisse deinde definitam à Concilio Tridentino, contra illud Tridentinum posset ita explicari, ut deus solum dari actus infusos fidei, spei, & caritatis, non autem ut definiat dari habitus infusos distinctos ab actibus; ergo non est de fide existentia virtutum infusarum.

3. Tertio Concilia, & Patres, dum agunt contra Pelagium de necessitate gratiæ, solum definiunt, & docuerunt esse necessariam gratiam actualem consistentem in augmentis transeuntibus, non autem definiunt esse necessariam gratiam habituales consistentem in habitibus virtutum infusarum; ergo existimantur existentiam habituum infusarum non esse dogma fidei.

4. Quarto non est de fide dari virtutes morales per se infusas, ut cum communi Theologorum sententia docet Suarius de gratia, lib. 6. cap. 9. ergo neque est de fide existentia virtutum theologiarum.

5. Respondeo Innocentium III. cap. maiores de Bapt. referre duas sententias Theologorum. Prima est affirmantium in baptismo infundi parvulis fidem charitatem, & aliam virtutes. Secunda est id negantium. Verba oppositæ sunt. Illud verò, quod opponentes ducunt, fidem, aut charitatem, aliasque virtutes parvulis, utpote non consentientibus, non infundi à plerisque non conceditur absolute, cum proprie inter Doctores Theologos questio referatur, dicitur sententia per virtutem baptismi parvulis quidem peccata remitti, sed gratiam non conferri, non dicitur dimitti peccatum, & virtutes infundi illis quoad habitum, non quoad operationem donec perveniant ad aetatem adultam. Ex his colligit Suarius l. 6. de grat. cap. 8. etiam Innocentium III. fuisse opinionem plurimum Theologorum, quod adultis cum insufficienter, infundantur habitus virtutum, præsertim theologiarum, licet aliqui ex speciali ratione negant tales habitus infundi parvulis. Post Innocentium III. Clemens V. in Concil. Vien. ut referuntur in Clementina vnica de summa Trinit. tanquam probabiliorem sequuntur opinionem asserentem tum parvulis, tum adultis in baptismo infundi gratiam, &

virtutes, dicens. Nos autem attendentes generalem efficaciam meritorum Christi, quæ per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem fecundam, quæ dicit tam paruulis, quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorum, & dictis Sanctorum, & modernorum Doctorum Theologiæ magis consonam, & concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam. Ex his patet tempore Clementis V. fuisse quidem probabilius, sed non fuisse certum dari habitus virtutum infusarum.

6. Quæritur, utrum Tridentinum sufficienter hoc definiat, adeoque post Tridentinum de fide sit dari iustificatis habitus infusos fidei, spei, & charitatis.

7. Negant aliqui. Probabilibus affirmant Vega l. 7. in Trident. cap. 6. Suarius l. 6. de gratia, cap. 8. §. 14. P. Sparza de Fid. quæst. 1. & alijs.

8. Probatur: nam Tridentinum sess. 6. postquam cap. 6. egit de actibus fidei, spei, & penitentia, per quos adulti se disponunt ad iustificationem, cap. 7. dicit: *hanc dispositionem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratia, & donorum &c. sed gratia, & dona, ad quæ nos disponimus per actus, non consistunt in actibus, sed in formis permanentibus, & habitualibus; ergo in iustificatione Deus infundit gratiam, & alia dona habitualia; sed hæc dona habitualia, quæ homini disposito per actus infunduntur simul cum gratia, sunt fides spes, & charitas, vt explicat idem Concilium paulo post eodem cap. 7. dicens: *Hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inferitur, fidem, spem, & charitatem; ergo in iustificatione infunduntur habitus fidei, spei, & charitatis.**

9. Confirmatur primo: nam Tridentinum eodem capite docet vniuersaliter iustificationem fieri per infusionem charitatis inhærentis, dicens: *Quamquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita Passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur, id tamen in hac iustificatione fit, dum eiusdem sanctissime Passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret; sed certum est, quod paruulis non infunditur actus amoris Dei, seu charitas actualis; ergo infunditur habitualis, & simul cum habitu charitatis infunduntur habitus fidei, & spei, ideoque Concilium subdit. *Vnde in ipsa iustificatione hæc omnia simul infusa accipit homo, per Christum, cui inferitur, fidem, spem, & charitatem.**

10. Confirmatur secundo: nam ex Tridentino omnibus iustificatis infunditur charitas; sed cum quis iustificatur per attritionem cum sacramento non habet charitatem actualem consistentem in actu amoris; ergo accipit habitualem.

11. Confirmatur tertio: nam sess. 6. can. 28. definit fidem non amitti per omne peccatum, & manere, licet charitas amittatur; ergo sup-

nit fidem, & charitatem esse habitus permanentes, ac per quodlibet peccatum mortale amitti habitum charitatis, non per quodlibet peccatum mortale amitti habitum fidei, sed solum per peccatum mortale infidelitatis.

12. Confirmatur quarto ex Concilio Provinciali Moguntino celebrato circa tempora Tridentini, in quo cap. 3. dicitur. *Cum venia peccator homo etiam Dei gratiam, & Spiritum Sanctum, & cum fide simul charitatem in corde diffusam, & spem accipit, istisque donis in ipso manentibus, non iam solum reputatur, & nominatur, sed vere existit iustus.* Propter allata argumenta plerique Theologi existimant existentiam trium habituum theologorum post Tridentinum esse certam ex fide: alij licet negent illam esse de fide, fatentur sine magna temeritate negari non posse.

13. Quæritur, ex quibus testimonijs Scripturarum colligatur existentia trium habituum theologorum, fidei, spei, & charitatis.

14. Respondeo, quod existentia fidei colligitur ex illo Apostoli ad Hebr. 1. *Sine fide impossibile est placere Deo; sed paruuli baptizati, adeoque iustificati placent Deo; ergo habent fidem: sed non habent actum fidei; ergo habent habitum fidei: & quia iusti dum sunt iusti, semper placent Deo, etiam cum dormiunt, & non habent actum fidei, semper habent fidem habitualement.* Existentia spei probatur ex 1. Petri 1. *Regenerauit nos in spem viuam: sed paruuli dum regenerantur in baptismo, non accipiunt actus spei; ergo accipiunt habitum spei.* Existentia charitatis probatur. Nam, Paulus 1. ad Corinthios 13. docet eum, qui charitatem non habet, nihil esse; sed paruuli baptizati, & iustificati non sunt nihil apud Deum, cum sint sancti, & iusti; ergo habent charitatem; non actualement; ergo habitualement. Ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis; ergo tandiu manet in nobis charitas, quandiu manet Spiritus Sanctus; sed in iustis dum sunt iusti, permanentiter manet Spiritus Sanctus; iuxta illud Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus; ergo permanentiter manet charitas; sed actualis non manet permanentiter; ergo habitualis.* Demum 1. ad Corinth. 17. dicitur: *Nunc autem manent tria hæc, fides, spes, charitas; sed hæc manent significat permanentiam: ergo dantur habitus permanentes fidei, spei, & charitatis; præsertim cum Apostolus loco citato agens de maiori permanentia charitatis dicat: *charitas nunquam excidit, quia conseruatur etiam in patria, vbi non manent habitus fidei, & spei.***

15. Ad primum, & secundum; licet ante Tridentinum temporibus Innocentij III. & Clementis V. existentia virtutum theologorum habitualium non fuisset definita, nec esset certa ex fide, tamen definita fuit sufficienter à Tridentino, ideoque post Tridentinum

num est certa ex fide. Testimonia Tridentini non possunt explicari de actibus, ideoque debent explicari de habitibus, vt probatum est.

16. Ad tertium: antiqua Concilia, & antiqui Patres disputantes contra Pelagium docuerunt, & dehoierunt ex professo necessitatem gratiæ actualis, de qua erat controuersia, & solum obiter insinuarunt necessitatem gratiæ habitualis, & habituum. At Scholastici subsequitis temporibus egerunt ex professo de gratia habituali, ac de habitibus virtutum, eamque cum habitibus definiuit Tridentinum contra recentiores hereticos.

17. Ad quartum: quidam dixerunt esse, de fide etiam existentiam virtutum moralium per se infusarum. Sed reijciuntur à Suario tom. 3. de gratia, lib. 6. cap. 9. Nam ante Tridentinum neque erat de fide existentia virtutum theologiarum, neque moralium, vt patet ex citata auctoritate Clementis V. in Concilio Viennensi; sed Tridentinum mentionem facit solum virtutum theologiarum, non autem moralium; ergo post Tridentinum sola existentia theologiarum, non autem moralium facta est de fide. Sed de existentia virtutum moralium per se infusarum, earumque distinctione à charitate agendum est questione sequenti.

QVAESTIO LXXV.

Verum dentur virtutes morales per se infusae, distinctae ab habitu charitatis?

1. **V**ideretur vera sententia Scoti in 3. dist. 23. quæst. vnica, qui docuit iustitiam, & vniuersim virtutes morales per se infusas esse omnino superfluas, ac proinde non admittendas: primo quia sufficiunt virtutes theologicae per se infusae; ergo &c.

2. Secundo si daretur duplex iustitia, altera naturalis, & acquisita, altera supernaturalis, & per se infusa, daretur duplex preceptum obligans ad ius suum vnicuique tribuendum, alterum iustitiæ naturalis, alterum iustitiæ per se infusae: ergo cum homo peccat contra iustitiam, peccaret contra duo precepta, ac proinde committeret duo peccata, quod videtur absurdum.

3. Tertio non possunt dari temperantia, & fortitudo per se infusae; ergo &c. Probatur antecedens: nam temperantia, & fortitudo, cum redigant ad debitam mediocritatem passiones appetitus sensitui, deberent recipi immediatè in appetitu sensitiuo, vt docet S. Thomas 1. 2. quæst. 66. art. 4; sed virtutes supernaturales per se infusae non possunt recipi immediatè in appetitu sensitiuo, qui est potentia materialis, sed debent recipi in intellectu, & voluntate, quæ sunt potentiae spirituales; ergo &c.

4. Quarto ideo fides, spes, & charitas distinguuntur inter se, quia sunt separabiles inter se non mutuo: nam licet spes non possit dari sine fide, & charitas non possit dari sine spe, & fide, tamen spes potest dari sine charitate, & fides potest dari sine spe, & charitate; sed virtutes morales sunt mutuo inseparabiles à charitate; ergo virtutes morales distinguuntur à charitate.

5. Respondeo cum Sancto Thoma 1. quæst. 63. art. 3. & alibi, S. Bonaventura in dist. 33. art. 3. quæst. 4. & alijs antiquis, quod præter omnes Thomistas sequuntur omnes auctores Societatis, & præsertim Suarez de gratia, cap. 9. & Vasquez 1. 2. disput. 11. alij, quod omnibus tum adultis, tum paruulis, cum infunditur gratia sanctificans, in sacramento, siue extra sacramentum, infunduntur omnes virtutes morales supernaturales per se infusae, adeoque in omnibus dantur virtutes morales per se infusae.

6. Probatur primo auctoritate. Nam Clemens V. loco supra citato sequitur vt probabilior opinionem, quæ docet in baptisatum paruulis, tum adultis infundi gratiam virtutes; ergo loquitur vniuersim de theologicas, & moralibus. Confirmatur: nam Clemens V. loquitur de illis virtutibus, de quibus loquutus fuerat Innocentius III. cap. in mandatis, & reliquerat quæstionem indecisam; sed Innocentius loquutus fuerat non solum de theologicas, sed etiam de moralibus, vt patet verbis relatis quæst. superiori num. 9. *Fides ac charitatem, aliasque virtutes*; ergo Clemens loquutus est de omnibus virtutibus, tum Theologicis, tum moralibus.

7. Probatur secundo ratione. Nam homo per gratiam sanctificantem eleuatur ad statum supernaturalem filii adoptiuum, & accipere potentias permanentes ad exercendas operationes proportionatas illi statui; sed illi statui supernaturali proportionantur operationes supernaturales non solum theologicae, iustitiæ, spei, & charitatis, sed etiam morales, nimirum actus supernaturales iustitiæ, temperantiæ, fortitudinis &c; ergo non debet accipere virtutes theologicas, per quas versetur circa finem, sed etiam virtutes morales iustitiæ, temperantiæ, fortitudinis per quas versetur circa media, & per quas versetur exercere actus supernaturales moralis iustitiæ, fortitudinis &c.

8. Confirmatur: nam præmium, & meritum debent esse eiusdem ordinis; sed homo per gratiam eleuatur ad statum, in quo debet mereri præmium supernaturale; ergo eleuatur etiam ad statum, in quo debet habere præmia supernaturalia; sed meritum consistit in actibus virtutum; ergo eleuatur ad statum, in quo debet exercere actus supernaturales virtutum: sed ad exercendos actus supernaturales requiruntur potentiae permanentes supernaturales; ergo homo eleuatus debet accipere cum gratia sanctificante potentias, & virtutes